

Job 5 v. 34. ait Christus, Ego ab homine testimonium non accipio,
& Job. 7. v. 17. si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de
doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

1. Job 5. v. 9. Si testimonium hominum accipimus: testimonium
Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quo-
niam testificatus est de filio suo. Quemadmodum mulier illa Samari-
tana è verbis Christi cognoscebat Messiam, & Samaritani quoq; qui
postea. Job. 4. v. 42. mulieri dicebant: jam non propter tuam loque-
lam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verè salvator
Mundi: Sic & ex verbo agnoscimus auctoritatem.

Vox Christi est Job. 5. v. 39. Scrutamini Scripturas, audite Mo-
sen & Prophetas. Luc. 16. v. 29. Quem omnes ejus oves audiunt.
Job. 10. v. 3. Huic Ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt & pro-
prias oves vocat nominatim, & educit eas.

Sed unde scis, quæritant Papistæ. Respondeo, Curiosa quæ-
stio est & temeraria: autoritas enim librorum Canonicorum,
Veteris & Novi Testamenti in Ecclesiâ Dei semper sacrosancta
fuit, & indubitata prorsus: Scio tamen

1. Ex genere doctrinæ, quod mysticum prorsus est, & adeò
sublime, ut omnem creaturarum captum quàm longissimè ex-
cedat. V. G. Gen 3. v. 15. de promisso semine contrituro caput serpentis:
De benedicto semine, in quo benedicantur omnes Gentes. Gen. 12. v. 3. De
semine Davidis, cujus regnum sit æternum 2. Sam. 7. v. 12. Cum completi
fuerint dies tui & dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum
post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus, eritq; fir-
mum in seculum, quod de Christo exponitur Psal. 89. v. 4. 5. 20. & seqq.
De nativitate Christi ex virgine Esa. 7. v. 14. Ecce virgo concipiet &
pariet filium & vocabitur nomen ejus Immanuel. De tempore Nati-
vitat. Gen 49. v. 10. Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de fe-
more ejus, donec veniat משיח ejusque certo anno. Dan. 9. v. 24. 26.
Septuaginta hebdomadæ desinitæ sunt super populum tuum & super ur-
bem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat pec-
catum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & im-
pleatur visio & Prophetia, & ungetur sanctus sanctorum. Et post
hebd-